

et longo studio vix assequi quis possit, nemo non videt. Si qua ergo in collectione sermonum hæc dotes non desiderentur, eadem certo uti licebit omnibus verbi Dei præconibus, quibus nec tempus, nec vires, nec alia subsidia suppetunt gravioribus studiis incumbendi. Itaque ad rem facere præsentem collectionem, quæ recusa notisque aucta nunc iterum typis editur, confidimus.

Ut autem aliquid de hac nova editione dicamus; primum curæ fuit ut qua fieri potest emendatissima prodiret sive quoad litteras, notas et incisa, sive quoad citationes testum S. Scripture et SS. Patrum, quarum plures recognovimus, ac ideo correctæ habentur in hac nova editione secus ac fuerint in prioribus. Aliquid etiam emendare duximus in stylo, ne frequentiores repetitiones, et locutiones a latinitate nimis alienæ legentes, audientesve offenderent. Addidimus aliquas notulas, raras quidem ac breviores, ne nimium excresceret moles voluminum, aut videremur correctorem vel magistrum agere probatissimi auctoris. Hanc hujus editionis sermonum P. Laselve rationem explicuisse sufficiat; qua in re si quid proficuum Ecclesiæ ministris, ac animarum salutis perfectimus, totum Deo tribuendum, cui nostri cujuscunque laboris, ac boni operis laudem et gloriam referri cupimus: defectum vero veniam ab Ipso expectamus precibus etiam sodalium nostrorum obtinendam, quibus vel tantisper profuturos hoc nostro labore proptamus.

A. S. O. P.

ADVENTUS

DE DESTRUCTIONE PECCATI

CONCIO PRIMA

DE PECCATIS QUÆ IN CONFESIONE OCCULTANTUR.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaïæ, 27, 9).

Ut primum mihi in mentem venit de Christi Adventu desiderere, cur ipse in hunc mundum venerit sollicitè exquisivi, meque docuit a Christo dilectus Evangelista, eum in hunc mundum venisse, ut opera diaboli, seu peccata destrueret. Hæc ejus fuit intentio: hæc major illius fuit sollicitudo: ad hoc vigiliæ, passiones, prædicationes, et omnia ejus opera spectarunt: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli* (Joan. 3, 8).

Ecce cur Christus in hunc mundum venerit; et ecce itidem quo collimare debeant omnes conciones, quæ de Christi Adventu fiunt. Ille venit, ut peccata destrueret; et Concionatorum tempore Adventus prædicantium labores ad hoc potissimum dirigendi ut ex hominum cordibus peccata auferant. Hic est finis, quem sibi proponere, et fructus quem ex concionibus suis elicere debent: *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum.*

Materiam quæ libuerit, pertractent, et finem quem voluerint, sibi proponant alii: una mihi materia, unusque mihi finis, peccatum destruere; hoc solum intendo, hoc unicum volo, et hic totus fructus quem inquiri. Unde istud meum de Adventu opusculum jure inscribi posset: *Destructio peccati*. Ut autem præfixum mihi finem attingere valeam, omnes totius Adventus conciones de peccati destructione instituiam.

In prima hebdomada, hæc proponam peccata, quorum destructioni quisque potissimum laborare debet. Hæc autem sunt: 1. Peccata occulta, quæ in confessione manifestare erubescitis; 2. Peccata inveterata, quibus assuevistis; 3. Peccata recidiva, in quæ frequenter inciditis; 4. Mortalia omnia peccata, quibus inquinati estis.

In secunda hebdomada, efficacia dabo motiva, quibus homines ad destruenda in se ipsis peccata adduci solent. Hæc autem sunt: 1. Dei in peccatores bonitas; 2. Mortis memoria; 3. Extremi iudicii rigor; 4. Inferni supplicia.

In hebdomada tertia, media adducam ad destruendum omne peccatum idonea; quæ sunt: 1. Dei gratia; 2. Pœnitentia; 3. Occasionum ad peccatum allicientium fuga; 4. Bonus dati nobis a Deo temporis usus.

In hebdomada quarta, rationes impugnabo, quibus peccatores a destruendis peccatis se excusare conantur. Hæc autem, quas adducere solent, rationes sunt: 1. Nondum pœnitendi tempus advenit; 2. Aliena restituere non valeo; 3. Labor me terret; 4. Nulla mihi amplius est spes salutis.

Ece totam dicendi materiam in hoc Adventu mihi propositam, quam exordiemur hodie a peccatis occultis, et pudendis, quæ multi in confessione manifestare erubescunt, etc. *Ave*.

Nil durius juveni, qui innocentiae vultum præfert, quam occultum, in quod infeliciter incidit, crimen confessario revelare: adolescentulæ, quæ pudica et pia æstimatur, nil acerbius, quam secretum, in quod misere lapsa est, facinus prodere, et Confessarii auribus committere: nil tandem molestius personis præsertim, quæ pietatis famam sibi conciliarunt, quam se peccatrices fateri, et pudenda sua homini manifestare. Hinc multi,

exitioso hoc pudore circumfusi, duobus, tribus, et nonnunquam pluribus annis a confessione abstinent. Hinc alii, ad sacram quidem exomologesim accedunt, sed ibi virus suum non evomunt, et horrenda, in quæ inciderunt scelera non declarant. Hinc alii, ad loca remota, et ad ignotos Confessarios migrant, ut quod in corde latet, ore suo liberius aperiant, et tamen neciis, licet doctissimis, licet sapientissimis et ignotis scelera sua pandere audent.

O quam magna hæc hujusmodi personarum infirmitas! O quam infestus ille pudor, qui hominum ora obturat! O quam stulti, qui hoc pudore a confitendis suis criminibus impediuntur! *O stulte*, inquit Augustinus, *cur erubescis homini dicere quod non erubuisi in conspectu Dei facere? remove a te pudorem, curre ad Sacerdotem, recela secretum, confitere peccatum* (Seria. De utilitat. pœnit.). Currite ergo ad Sacerdotes, secreta eis scelera manifestate, occulta eis revelate peccata, si per pœnitentiam justificari, in extremo Dei iudicio non confundi, et æternis inferni suppliciiis non addici velit. Qui enim gravia sua peccata Confessario occultant: 1. Per pœnitentiæ Sacramentum non justificantur; 2. In extremo Dei iudicio confundentur; 3. Inferni suppliciiis adjudicabuntur.

I PARS.

*Qui gravia peccata Confessario occultant,
per pœnitentiam non justificantur.*

De quodam ex sanctis Patribus refert Cassianus, quod daemone aliquando viderit Confessariorum tribunalia Instrantem; cumque ab eo petisset, quid ageret? Respondit: *Pœnitentibus reddo quod ei rapueram*. Interrogatus quid hoc esset, quod eis rapuerat, et quod reddebat? *Abstuli*, inquit, *ab eis verecundiam, cum peccarent, ut liberius peccata cumlarent; reddo nunc eis, ut a confessione ob verecundiam deterream* (Coll. 2, c. 11).

Facit nunc quotidie satanas, quod tunc semel fecisse fertur: omni enim, qua potest arte et astutia, pudorem peccatoribus infundit, ut eos a declarandis in confessione criminibus avertat: *Diaboli hæc est astutia, quod te in peccato erubescere vetat, et peccatum dicere impedit pudore* (S. Chrysost.). Sed de damone, et de pudore generose triumphare, suaque omnia, quantumvis gravia et occulta crimina Confessario manifestare debet peccator, si per penitentiam sanari, et justificari velit: qui enim peccata sua Confessario non declarat, ab eis non absolvitur, et per consequens justificationis gratiam non accipit: quare, ut per penitentiam justificeris, omnia peccata tua Confessario manifestes necesse est: *Narra, si quid habes, ut justificeris* (Isa. 41, 26).

Cum puella quædam honesta, pudica, et claris orta parentibus, cancerum in pectore, vel gravem et occultum alium morbum habens, suam medico aperire infirmitatem, et chirurgi manibus se committere erubescit; quo diutius malum celat, eo gravius evadit; nec sanabitur, si illud perito medico non aperiat, quia *quod ignorat medicina non curat* (S. Hier.). Mortalia autem peccata, quæ peccator occultat, sunt veluti cancri in corde ejus latentes, qui quo diutius teguntur, eo magis crude-scunt et augentur. Quare, o peccator, si ab iis sanari, et coram Deo justificari intendas, spirituali medico ea in confessione manifesta; si enim ea non manifestes, per penitentiam nunquam justificaberis. Velim dormias in cinere et cilicio, facultates tuas pauperibus eroges, et torrentem lacrymarum tui deducant oculi; velim veniam a Deo mille postules, jejuniis multis corpus affligas, ac ad actus doloris, quantum fas erit, te excitare coneris; hæc omnia non te justificabunt, si peccata tua Confessario manifestare nolis: ut enim ait Augustinus, *Nihil tibi proderit contritio cordis, nisi sequatur confessio oris, si possis* (Ibid.). Nec credendum, quod ad justificationem sufficiat, aliqua dumtaxat ex peccatis mortalibus confiteri: si enim vel unicum mortale in confessione voluntarie taceas, per penitentiam non justificaberis: quia, inquit Doctor Angelicus, *In medicina corporali oportet, quod medicus non*

unum solum morbum.... cognoscat, sed etiam universali-ter totam habitudinem ipsius infirmi, eo quod unus morbus ex adiunctione alterius aggravatur.... Similiter est in peccatis, quia unum aggravatur ex adiunctione alterius.... Et ideo de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quæ in memoria habet (Sup. q. 9, a. 2).

Sicut postquam peccavit David, sua confessus est crimina, ac dixit: *Peccavi*; ita postquam Christum prodidit Judas, suum illud confessus est peccatum, dicens: *Peccavi, tradens sanguinem justum* (Math., 27, 4). David tamen dicens: *Peccavi*, sanatur, et justificatur; Judas vero dicens: *Peccavi*, non sanatur, nec justificatur. Quare hoc? Quia, ut advertit S. Ambrosius, Judas non omnia sua confessus est crimina: tacuit enim fraudes suas, tacuit et a se sacrilege sumptum fuisse Christi corpus. Ecce quo tibi accidit, cum vel unicum mortale peccatum voluntarie in confessione retices: hæc enim tua confessio judaica est, sacrilega est, ac per eam non sanaris, nec justificaris.

In vita S. Sebastiani apud Surium legitur de Chromatio urbis Præfecto, quod cum podagra doloribus vexaretur, perfectam ei vir sanctus pollicitus sit sanitatem, modo idola sua omnia confringeret. Ille sanitatis cupidus, ducenta Sebastiano idola confringenda obtulit, nec tamen convuluit. Inde collegit Sebastianus non omnia contracta esse idola, aliudque quoddam a Præfecto esse reconditum: quare dixit ei, non restituendum sanitati, nisi illud proderet. Paruit Chromatius, unumque idolum sibi maxime charum, quod in cubiculo absconderat, Sebastiano tradidit: quo contracto, de repente convuluit. Optime quidem; quot peccata, tot idola. Vis per penitentiam Sacramentum justificari, et ab animæ infirmitatibus sanari? omnia hæc scelerum tuorum idolo quæ in cordis conclavi geris, Confessario confringenda trade, omnia tua peccata confitere: si enim vel unicum mortale abscondas, nunquam sanaberis, nunquam justificaberis: quia, ut docent Theologi, unum mortale sine altero per penitentiam remitti nequit. Et ideo neque quis per

penitentiae Sacramentum justificari potest, si omnia sua mortalia peccata non confiteatur, et vel unicum voluntarie occultet.

De his, qui mortalia peccata in confessione occultant, asserit Oseas Propheta, quod dolores mulieris parturientis patientur: *Absconditum peccatum ejus, dolores parturientis venient ei* (13, 12). Cum culpam sua corruptela passa est quadam puella, quibus conficitur cruciatibus, quando pariendi tempus advenit? quam variis tunc agitur lancinantium cogitationum stimulis? quam acribus diversarum passionum morsibus tunc laceratur? nunc enim familiae dedecus, nunc propriae famae jacturam, nunc afflictionem matris, nunc patris iracundiam, nunc fratrum et propinquorum convicia mente revolvit; ac iis magis, quam ipsis partus doloribus angitur. Eosdem fere dolores patiuntur qui gravia, et pudenda perpetrarunt crimina, cum tempus pariendi, seu peccata confitendi venit: tunc enim dirissime anguntur, tremunt, pallescunt, conturbantur, ac intra se dicunt: quomodo patri spirituali declarabo hoc et illud peccatum, quae enormissima sunt? quomodo in lucem dabo quae in tenebris facta sunt? quid de me sentiet Confessarius, si pudenda mea illi patefaciam? Ibi sane dolores ut parturientis; sed pariendum est, tuaque omnia, quantumvis occulta, confitenda sunt peccata, si ab iis sanari, et justificari velis: quia, ut sanctum Tridentinum Concilium definit, *Peccator non obtinet veniam, et remissionem peccatorum mortalium post Baptismum commissorum, nisi ea, quantum moraliter potest, confiteatur* (Sess. 14, c. 5, et can. 7).

Nec mirum, si sic sacra loquatur Synodus: tantum enim abest, quod per penitentiae Sacramentum justificetur qui mortale aliquid in confessione occultat; quin contra, qui in sordibus erat, sordescit adhuc, novoque se peccato coinquinat: siquidem quotiescumque quis in confessione, vel unicum lethale peccatum voluntarie reticet, gravissimum perpetrat sacrilegium, totque sacrilegia multiplicat, quot confessiones et communiones in hoc statu facit. Quare Confessarii tui notitia: peccata non subducas, tua ei non occultes scelera; sed omnia et singula, quantumvis horrenda et pudenda ei declara facinora, ut per

penitentiae Sacramentum justificeris. *Audacter*, inquit sanctus Gregorius Nyssenus, *ostende Sacerdoti, qui sunt recondita animi arcana*: audacter dic Confessario hoc adulterium, in quod, faventibus noctis tenebris, infeliciter lapsa es; audacter manifesta illi fedam illam actionem, quae Deo soli, et tibi nota est; dic ei audacter hunc incestum, hoc sacrilegium, aliaque turpia et horrenda peccata, in quae misere incidisti; dic ei tua omnia mortalia, ut per penitentiae Sacramentum justificeris: *ac etiam ut in extremo Dei judicio non confundaris.*

II PARS.

*Qui gravia peccata Confessario occultant,
in extremo Dei judicio confusionem operientur.*

Sicut cum pictor aliquis pereximius praeclarae cuidam tabellae elaborandae incumbit, opus suum delitescere, et a nullo videri satagit, ne praemature censuret; at opere confecto, et perfecto, illud omnibus spectandum, et censurandum proponit; ita, inquit S. Basilus, omnes penitus homines quasi pictores sunt, qui quamdiu in hoc mundo morantur, in anima sua velut in tabula rasa virtutes et vitia depingunt. Virtutes suas ex humilitate aliqui abscondunt, vitia etiam sua ex verecundia multi contegunt; sed in die judicii, deducto velo, ea quae a se in anima, seu tabula picta sunt in occulto, in lucem prodibunt (L. De vera vig.). Tunc quidem justorum virtutes ab omnibus conspiciuntur; sed et omnia reproborum peccata, tanquam turpes et indecorae picturae, sub monstrosa specie manifestabuntur. Tunc in momento, in ictu oculi, cortina remota, patefient omnia et singula peccata, quae quisque usquam cogitatione, verbo, et opere commisit. Tunc Deus occulta peccata, quae in antris, in clausis cubiculis, et ubique perpetrata sunt; ipsas etiam pravas cogitationes, nec non occultissima cordium desideria manifestabit: *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium.*

In legenda Patris Seraphici a Seraphico filio et Doctore conscripta (C. 4) narratur, in quodam ex Conventibus Ordinis Minorum, nocte media, a Fratris conspectum currum igneum cum globo cadenti, a quibus refectorium, dormitorium, chorus, ac omne Monasterium ita illustratum est, ut non solum totius domus officinæ a cunctis Fratribus tunc in momento visæ sint; sed etiam, virtute illius luminis, quilibet frater quid alii agerent, vel cogitarent, clare perspexerit; ac, ut loquitur divus Bonaventura, *Ex virtute mirandi illius luminis, alterius alteri conscientia nuda fuit.* In die autem generalis iudicii, mirabili quodam et longe fulgentiori lumine Deus *illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia condium:* tunc enim, virtute illius luminis, alter alterius conscientiam lustrabit, ac occultissima quævis flagitia, quæ quisque in hoc mundo patravit, omnibus patebunt. Unde quisque cum timore et tremore hæc S. Augustini verba ore proferre et mente volvere debet: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates mee, tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum.*

At licet omnia penitus scelera, quæ reprobi in hoc mundo commiserunt, sint in extremo iudicio manifestanda; ea tamen longe clarius, et evidentius patebunt, quæ ex verecundia in confessione homines occultarunt: quia enim ex pudore ea uni homini declarare noluerunt, in huius pudoris poenam, inquit Chrysostomus, ea Deus, non uni dumtaxat, sed omnibus prorsus hominibus clarissime manifestabit. Quod et ipse Spiritus sanctus terribilibus verbis asserit, dicens: *Nudabo ignominiam tuam coram eis, et videbunt omnem turpitudinem tuam* (Ezech., 16, 37); quasi dicat, o peccator, quamdiu in mundo vivis, tua abscondis scelera, ea nec ipsi Confessario fateri vis; sed in huius tui pudoris poenam, pudenda hæc peccata, quæ tam sollicitè abscondere conaris, omnibus penitus hominibus in generali iudicio patefaciam. Tunc omnibus patebunt falsæ syngraphæ, tunc falsa iuramenta, tunc sacrilegia, tunc latronum furta, mulierum adulteria, et mercatorum fraudes manifestabuntur,

tunc usuræ palliata, hypocrises, et omnia facinora, quæ ob verecundiam in confessione tacuisti, terribili cum apparatu se sistent; et, ut fatur S. Chrysostomus, *In medio se ferent coram omnibus adstantibus, et amicis, et inimicis, et Angelis.*

Quanta, queso, tua erit verecundia? quanto pudore afficeris tu, qui peccata tua Confessario revelare noluisti, cum Deus omnia tua crimina, non solum in genere, et confuse, sed clare, et distincte, cum specialibus eorum circumstantiis, cunctis hominibus manifestabit? quanta tibi erit confusio, cum non confuse, sed singulas per partes, velut in pictura cernentur? (S. Basil., ib.) Tunc vidobit quisque, quo loco, qua hora, et quoties hanc mulierem ad patrandum adulterium pellexisti. Tunc clare perspicient omnes, qua arte adolescentulam seduxisti; et quoties cum illa peccasti. Tunc omnibus patebunt enormia omnia scelera, quæ clam perpetrasti; nullumque ita absconditum, quod tunc non cunctis patebat: *Non est occultum, quod non manifestetur; nec absconditum, quod non cognoscatur, et in palam veniat* (Luc., 8, 17). Tunc omnia hæc patebunt perspicere, clare, et distincte sicut in pictura. O qualem, et quantam confusionem!

Heu! inquit S. Petrus Damianus, si hic confundimur, unico homini peccata nostra clam dicere; quid erit in generali iudicio, ubi omnia patebunt? Certe tanta tunc erit confusio illorum, qui sua in confessione peccata tacuerunt, ut ad eam declinandam, a montibus operiri sint petiituri: *Si confundimur hic dicere: quid erit in magna illa confusione, ubi omnia patebunt? cum eo veneris infelix homunculo, quo te flectes? nonne tunc incipies dicere montibus: Cadite super nos?* (Ser. 2, De S. Andr.).

Tanta quidem tunc erit confusio illorum, qui peccata in confessione occultarunt, ut a montibus operiri sint optaturi; sed insuper tanta eorum erit confusio, ut ad eam vitandam, in inferno latere sint appetituri. Tunc enim, ut huic non subjiciantur confusio, gementes clamabunt: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me?* (Job., 13, 31). Nec mirum, si sic sint clamaturi, cum hæc confusio ipsis etiam inferni supplicii sit

gravior: *Supplicium omnium gravissimum, est opprobrium illud, et confusio* (S. Basil. ib.).

Pensate, quæso, quam confusionem patiatur mulier, quæ probatæ virtutis censebatur, cum a patre, marito, matre, vel aliis consanguineis in adulterio deprehenditur; mente revolvite, quæ verecundia afficiatur puella nobilis, cum in loco recondito, sub obscuro vespere, cum proco sola cum solo a multis invenitur. Sed serio adhuc recogitate, quanta hujus mulieris, et illius puellæ esset confusio, si alba veste indutæ, in medio foro, coram totius urbis incolis, sua crimina fateri cogerentur? Hæc haud dubie mori, quam tot peccati sui testes habere, præli-gerent. Ast, o peccator; quanto major tua erit confusio, cum in die iudicii occultissima quævis tua flagitia in conspectu patris, matris, fratrum, et omnium hominum manifestabuntur? quanto acerbiori subiacebis rubori, cum a te clam perpetrata scelera, in valle Josaphat, in tam aperto, tanquæ illustri theatro denudata omnium oculis objiciuntur? Pudor, quo tunc afficeris, ipsa etiam inferni superabit supplicia, ac omnium erit suppliciorum maximum. Quare ut magnæ huic tunc non subjaceas confusio, parvam illam nunc subeas confusionem, quæ in auriculari confessione reperitur. Gravissima, inquit Petrus Damianus, et onerosa in generali iudicio tibi erit confusio, si peccata tua in confessione taceris. Vis hanc confusionem vitare, et hoc onus excutere, aperi os tuum, et peccata tua confitere: *Hoc onus, si velis, nunc excutere vales, aperi os tuum.*

Pudet te, ait præfatus Cardinalis, peccata tua uni Sacerdoti dicere, hunc confer pudorem cum eo, quem in generali iudicio passurus es, si in hoc mundo tua debite non confitearis peccata: *Opponamus huic pudori comparationem majoris confusionsis* (Ibid.). Si erubescis nunc tua unico homini peccata dicere, quanto magis in extremo erubesces iudicio, cum non uni dumtaxat, sed cunctis hominibus manifestabuntur? Si te pudeat tua uni Confessario peccata secreto, et in aure revelare, quanto majori suffunderis pudore, cum in iudicio palam revelabuntur, ac Angelis, et hominibus nota fient. Confer con-

fusionem, quam in confessione pateris, cum gravissima hac confusione, quam in generali iudicio passurus es, et fateri cum Sancto Augustino, quod *melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die iudicii coram tot millibus hominum gravi repulsa notatum erubescere* (l. 2, *De visit. instr.*, c. 5).

Scimus Sacerdotem, cui peccata confitemur, esse hominem sicut et nos, esse debilem, infirmum, ad peccata proclivem, et confessione egentem sicut nos. Scimus hunc hominem Christi vices gerere, paterna viscera habere, ac salutis nostræ desiderio accendi. Scimus illum jure naturali, divino, et ecclesiastico ad secretum servandum teneri. Quare his, et aliis multis rationibus quisque omnem a se pudorem expellere, et omnia sua peccata libenter confiteri debet. Sed maxima ratio, quæ ad triumphandum de hoc pudore, et ad omnia peccata Confessario manifestanda quisque debet excitari, hæc est, quod scilicet *melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die iudicii coram tot millibus hominum gravi repulsa notatum erubescere*. Quare pudorem pudore vince, ac peccata tua, quantumvis horrenda et pudenda, Confessario generose declara ut in generali iudicio coram omnibus hominibus gravissima non afficiaris confusione: *ac etiam ut ad inferni supplicia non condemneris.*

III PARS.

Qui gravia peccata Confessario occultant, æternis inferni suppliciiis adjudicabuntur.

Deus, qui Angelis peccantibus nullum ad justificationem et ad salutem auxilium prestitit, sacramentalem instituire dignatus est confessionem, qua mediante homines quique, quantumvis scelesti, et rei, a peccatis absolvi, justificari, et salvari possunt. *Confessio sanat, confessio justificat, confessio peccatis ve-*

niam donat, omnis spes in confessione consistit (Isid., l. 1, c. 12).

Non se habet Deus sicut terreni Iudices, qui reos illos, qui sua fatentur scelera, diris suppliciis, et sæpe morti adjudicant; non enim vult Deus mortem peccatoris; et peccatores, quantumvis gravium criminum rei, si Deo, seu Confessario Dei vices gerenti, sua debite confiteantur peccata, ab iis absolvuntur, ac justificationis et salutis gratiam accipiunt: *Mortem plerumque generat, vel semel terreno Judici crimina confiteri, Deo autem facta confessio, non parturit periculum, sed salutem* (Cass. in. Ps. 74).

Maxima est differentia inter forense, et poenitentiae tribunal: in forensi enim tribunali, cum quis dolore victus, et tormentorum vi adductus sua fatetur scelera, ad capitalem poenam damnatur, quia illa confessus est; si autem de dolore triumphans, taceat, suaque non fateatur crimina, ad mortem non damnatur. In tribunali autem poenitentiae omnis peccator, quantumvis gravium et multorum criminum reus, absolvitur, justificatur, et salvatur, si ea debite confiteatur, tanta enim est misericordis Dei bonitas tamque ineffabilis ejus clementia, ut si scelera dolentes confessi fuerimus, nostri ipsorum facti accusatores, ipse nobis indulgeat, ac caelestem beatitudinem imperiatur: *In mundanis, et forensibus judiciis, post accusationem, et criminum confessionem, restat mors, apud divinum autem tribunal post accusationem, et confessionem criminum, datur corona* (Crysostom. Hom. 1, in c. 64. Isaïæ).

Quam felices illi peccatores, qui peccata sua debite confitentur! cum mediante humili confessione, gratiam et gloriam obtineant. Sed o quam infelices hi, qui in confessione peccata sua reticent! si enim vel unicum mortale occultaverint, suppliciis adjudicabuntur æternis. Quod ex jam dictis facile inferri potest: si enim per poenitentiam non justificantur, qui omnia sua mortalia in confessione non manifestant, inde sequitur, quod et hi ad aeterna supplicia condemnabuntur: ad ea enim damnabuntur omnes, qui justificationis gratiam non habentes, ex hoc mundo migraverint. Unde D. Augustinus, qui asserit,

Deum salvare omnes, qui debite sua confitentur peccata, asserit etiam, Deum suppliciis æternis adjudicare eos, qui ea non confitentur: *Deus liberat humilem, damnat non confitentem* (in Psal. 66).

Miranda est confessionis sacramentalis virtus respectu poenarum inferni: si enim confessio debite fiat, ignem inferni quasi extinguit, et poenitentem, qui sua omnia debite confitetur peccata, ab inferni suppliciis præservat: *Amaritudo presentis poenitentiae extinguit ignem sequentis iræ* (S. Gregor., lib. 19 Mor.). Unde illos qui peccata sua confiteri erubescunt, hortatur Tertullianus, ut serio cogitent, quod humili scelerum suorum confessione, tartari poenas vitare, et inferni ignem sibi extinguere valeant: *Si de exomologesi retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis extinguet* (L. De poenit., c. 12). Hoc quidem serio cogitare debent peccatores; sed et cogitare ac certi esse debent, quod si omnia sua mortalia in confessione non declaraverint, æterna non vitabunt supplicia, quin contra a Deo iis adjudicabuntur, et in æternum damnabuntur, quia tacuerunt, suaque omnia scelera Confessario declarare noluerunt: *Damnaberis tacitus, qui poteris salvari confessus* (August., ibid.).

Hoc certissimum est, illudque probe novit dæmon, qui omni qua potest arte, peccatores ab integra peccatorum confessione facienda avertit. Eos dæmon jejunare, orare, conciones audire, eleemosynas dare; imo et e mensa Domini epulari sinit, modo sua omnia non confiteantur peccata: quia certus est, quod si ea, aut si vel unicum mortale in confessione reticeant, ad inferni supplicia infallibiliter condemnabuntur. In quo dæmon similis videtur carceris custodi, qui parum sollicitus est de his quæ captivus intra carcerem agit; illique indifferens est, quod ludat, cantet, bibat, vel aliud aliquid faciat, modo carceris ostium ita obseratum sit, ut evadere nequeat. Sic enim satanas, postquam hominem horrendo aliquo, vel pluribus illaqueavit sceleribus, parum curat, an jejuset vel non jejuset, an ore, vel non ore, modo clausum remaneat oris ejus ostium, et scelera foras non mittat per confessionem: quia certus est,

quod si ante mortem omnia penitus mortalia non confiteatur, æternis inferni suppliciis post mortem judicabitur; quodque damnabitur tacitus, qui poterat salvari confessus.

Cum quis in horrendum, et pudendum aliquid crimen incidit, multas, suadente diabolo, rationes sibi fingit, quibus ab illo confitendo excusetur. Jam sibi suadere conatur, hoc peccatum esse leve: quia factum in pueritia, et antequam rationis lux perfecte illucesceret, ac ideo non necessario confitendum. Jam in mentem venit, quod sufficiat illud dicere in genere, et confuse, vel sub quibusdam verborum involucribus illud Confessario tegere. Nunc imaginatur, quod Deus cujus bonitas infinita, ipsi indulgebis, licet illud in confessione taceat. Nunc confidit, quod sine confessione suum illud peccatum aliquibus eleemosynis, aliisque piis operibus delere poterit. Sed, o errores! o illusiones! falleris, peccator; quia necessario confitendum est tuum peccatum, ut non in æternum damneris: si enim omnia mortalia, in quæ incidisti, confiteri possis, et ea omnia non confitearis, ad æterna post mortem supplicia condemnaberis; et ut loquitur S. Augustinus: *Si non confessus lates, non confessus damnaberis.*

Vide nunc peccator, quid tibi melius sit, an peccatum tuum confiteri, an ad inferni supplicia in æternum damnari. Vel, ut loquitur Tertullianus: *Vide an melius sit damnatum latere, quam palam absolvi (De penit.)*. O peccator inter cælum et terram medius stas; inter cæli delicias, et inferni supplicia ita positus es, ut in potestate tua sit aut cæli deliciis in æternum frui, aut ad inferni supplicia addici. Si debite confitearis, ecce cælum tibi apertum, ut æternis fruaris deliciis; sed si debite non confitearis, ita ut mortale aliquid voluntarie reticeas, ecce tibi patet infernus, ad ejus supplicia condemnaberis. Vide jam quid tibi magis conveniat; elige quod vulneris; attende, an melius sit in æternum damnari, quam omnia peccata tua confiteri? Certe, si recte judices, melius est millies peccata quævis coram omnibus hominibus evulgare, quam ad unicum quadrantem in inferno torqueri.

Heu! si scires, quam acerba sint inferni supplicia, si nosses,

quam tetra, et formidandæ sint tenebræ, quibus involvuntur damnati; quam terribiles vermes a quibus roduntur; quam acerbis carcer, quo includuntur, quam vorax ignis, a quo cremantur. Si hæc probe scires, et sæpe mente revolveres, peccata tua, quantumvis horrenda, confiteri non renueres; nec te puderet hoc et illud scelus Confessario declarare. Si hæc serio recogitares, non diceris: pudet me tam enorme crimen Confessario manifestare: sed ad sacrum penitentia tribunal mox properares, ut tua omnia crimina, clare, et distincte confitereris: ac sentires, longe satius esse peccata omnia confiteri, quam in æternum damnari.

Confitero ergo omnia peccata tua; non erubescas scelera tua dicere homini, qui peccator est sicut tu, et forte plus quam tu: ab integra confessione faciendâ nullus te pudor, nulla ratio impediât, nullumque mortale peccatum in confessione occultes, quia si vel unum occultaveris, per penitentia Sacramentum non justificaberis in extremo Dei judicio maxima confusione perfunderis, et æternis inferni suppliciis adjudicaberis.

Ut peccatores ad deponendam omnem verecundiam, et ad omnia peccata confitenda excitaret, dicebat Augustinus: *Quid erubescis, o homo, confiteri peccata tua? peccator sum sicut et tu, homo sum sicut et tu; confitero ergo homo homini, homo peccator homini peccatori (Serm. 114, De tempore)*. Imaginare, peccator, quemlibet Confessarium in penitentia tribunali sedentem, tibi cum Augustino dicere, homo est tu, homo et ego, peccator es tu, peccator et ego, non sum ego Angelus et impeccabilis, sed sum homo fragilis et peccator sicut tu: quare, o homo peccator, scelera tua homini peccatori dicere non erubescas.

Ecce quidem magnum, et urgentissimum motivum quo quisque ad omnia peccata libenter, et absque rubore confitenda excitari deberet. Sed rogo et obsecro, ut sæpissime etiam mente versetis tria motiva, quæ adduximus, ut vos ad non occultanda in confessione peccata alliceremus. Serio perpendite, et intra vos dicite, si in confessione vel unicum mortalem taceam, per penitentia Sacramentum non justificabor. Et si in hoc statu

ab hoc mundo exeam, maxima in extremo iudicio confusione afficiar, ac aeternis inferni suppliciis adjudicabor. Hæc si serio, et sæpe consideretis, omnia peccata vestra in confessione declarabit, per penitentiae Sacramentum justificabimini, in extremo iudicio securi apparebitis, æterna vitabitis inferni supplicia, et immensa cœli gaudia obtinebitis. Amen.

CONCIO II.

DE PRAVA CONSUETUDINE.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia 27).

Non miror, quod homines, qui ex natura sua debiles sunt et infirmi, in grave aliquod peccatum quandoque incidant: quia *humanum est peccare* (D. Bernar.), sed miror, ac totus obstupesco, cum innumeros video, qui pertinaci obstinatione in sceleribus suis perseverant: quia *diabolicum est perseverare*.

O quam multi, diabolico hoc agitati spiritu, prima pueritiæ peccata usque ad senectutem protrahunt! quam multi vitia, quibus a teneris annis adhaeserunt, per varios actus repetitos multiplicant, illaque eo magis augent, quo diutius in hoc mundo morantur! quamplurimos videre est usuris, perjuris, blasphemis, lasciviis, ebrietatibus, detractionibus, et aliis vitiis addictos, a quibus si petatur, a quo tempore his assueverint? Respondebunt, a sex, decem, vel pluribus annis. Qui assuetus erat furto a sex annis, jam furatur; qui libidini a decem annis assueverat, jam luxuriatur. Ebriosi sunt hodie, qui ebrie-

tati indulgebant annis præteritis, usurarii hodie, qui usuris proximum a decem, et viginti annis opprimere soliti erant.

Hi sunt morbi prolixi, et inveterati, qui gravant medicos, et quibus medendis Concionatores et Confessarii multa sollicitudine, multoque labore incumbunt; *Languor prolixior græcat medicum* (Eccli., 10, 11). His morbis curandis, seu inveteratis, pravisque consuetudinibus, et habitibus eradicandis hodie operam dabo: totus enim fructus, quem in hoc Adventu intendo, est destructio peccati: *Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum*.

Hæc occulta peccata, quæ homines in confessione dicere erubescunt pro viribus destruere conati sumus, et hodie peccata inveterata, seu pravas peccandi consuetudines destruere pertentabimus, etc. *Ave*.

Cum de pravis habitibus, seu de inveterata peccandi consuetudine disserere statui, protinus mihi in mentem venire pessimi urbis Sodomæ incolæ, in quibus, tamquam in execrandis prototypis, quæ sit prava consuetudinis natura, quantaque ejus malitia, facile adnotari potest: prava enim, et infanda consuetudo, qua hi ligati detinebantur erat malum grave, malum quod facile contrahebatur, et malum, quod difficile curabatur. *Erat malum grave*, non solum ex sua natura, sed etiam ratione cæcitatatis, obdurationis, et malignorum aliorum effectuum, quos causabat. *Erat malum, quod facile contrahebatur*: cum ibi omnis caro corrupisset viam suam, nec decem justi in populo hac civitate reperti sint. *Erat malum quod difficile curabatur*; cum Sodomitæ nec scelerum suorum agnoscerent enormitatem, nec de iis corripri paterentur.

Quod de inveterata Sodomitarum consuetudine, hoc et de prava quavis peccandi consuetudine dici potest, prava etenim ad quodcumque mortale perpetrandum consuetudo, est. 1. *Malum grave*: 2. *Malum quod facile contrahitur*: 3. *Malum, quod difficile sanatur*.

I PARS.

Prava consuetudo est malum grave.

Prava consuetudo, seu habitus malus, nil aliud est, quam facilitas quedam peccandi, per varios ejusdem rationis actus acquisita, prava v. g. consuetudo blasphemandi est facilitas, quam quis habet ad blasphemandum, variis actibus, seu pluribus iteratis blasphemis comparata.

Hæc autem peccandi consuetudo, gravissimum malum est, et præcipue si inoleverit et inveterata sit, tunc enim nil illa gravius et exitiosius esse videtur: *Omnibus malis est gravior, et omnium malorum pessima consuetudo.* Eam esse malum grave, et gravissimum, multa suadent, sed præcipue: 1. *Peccata multa*, quorum est parens: 2. *Cæcitas spiritalis*, cujus est origo: 3. *Aeterna damnatio*, cujus est causa.

1. Ipsa docet experientia, quod inveterata peccandi consuetudo multorum sit parens peccatorum; qui enim furto assuetus est, ad furta sua iteranda, et multiplicanda per consuetudinem trahitur; qui fornicationi assuevit, vix a fornicationibus abstinere potest: et si magnam sibi vim non inerat, in spurcitas suas sæpe incidet. Idem de pravis aliis habitibus dicendum; sicut enim prava omnis consuetudo per peccata, seu per pravos ejusdem generis actus est genita, ita et ipsa est maligna parens, quæ pravos multos ejusdem rationis actus gignit, et quæ ad peccata multiplicanda inclinatur: *Cum prava quadam consuetudine ligamur, mala incessabiliter malis addimus* (Salvian. L. 6, *De guber.*). Et quod pejus est, cum prava aliqua consuetudine restricti detinemur: non solum malis mala ejusdem rationis, sed etiam mala, et peccata diversæ rationis addimus, qui enim ebrietati v. gr. addictus est, non solum sæpe se vino ingurgitat, sed etiam ex effrænata hac ingluvie ad luxuriam, ad rixas, ad perjuriam, ad sacrilegia, et ad alia peccata trahitur. Idem dicendum de pravis aliis consuetudinibus, quæ omnes ad multa, sive ejusdem, sive diversæ ra-

tionis peccata alliciunt: ut enim ait D. Augustinus, *Omnis peccator perseverans in peccatis suis, addit peccata peccatis.*

Duo dedit nobis Deus, ut a perpetrands peccatis præservemur, gratiam scilicet, et conscientie stimulum; *Gratiam*, quæ intus nos illuminat, excitat, et adjuvat; *Conscientie stimulum*, qui intus pungit, et lancinat, ut nos a committendo peccato avertat. *Gratia* cuius homini in magno peccandi periculo versanti sese offert, eumque intus monet et movet, ut illum a peccato perpetrando cohibeat. *Stimulus etiam conscientie* quemque in proximo peccandi periculo existentem intus pungit, ut illum a peccato areat; hinc fit, ut gratia divina adjuti, et salubribus conscientie stimulis lancinati, a peccatis perpetrands præservemur. Ast cum quis habitum peccaminosum contraxit, est quasi cæcus, qui gratiæ divinæ illustrationibus clausos habet oculos, est quasi surdus, qui salubrem intus monentis gratiæ divinæ vocem non audit, et est quasi homo insensibilis, qui sacris divinæ gratiæ motibus non excitatur. Cum etiam pravum quis habitum contraxit, intus mordentem conscientie non sentit stimulum, quo a peccato committendo avertatur, quin contra, nil ipsi suavius, quam peccare et in peccatis perseverare: *Letantur, cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (Prov. 25, 14). Unde cum nec divina gratia, nec conscientie stimulo a perpetrands peccatis cohibeatur, in multa cadit peccata, additque peccata peccatis, quousque tandem in peccatorum abyssum decidit: *Trahitur miser in profundum* (S. Bernard. grad. 12, humil.). Inveterata ergo peccandi consuetudo est malum grave: cum multorum sit parens peccatorum; sed est etiam malum grave, cum cæcitas spiritalis sit origo.

2. Pudor et timor sunt quasi duo fræna, quibus a peccatis perpetrands cohibemur. *Pudor* quidem, cum enim quis pudore magno suffunditur, a peccato facile abstinet. Unde pudor a D. Bernardo vocatur *gloria conscientie*; quia scilicet, per pudorem conscientia de peccatis triumphat, et ab iis se immunem servat. *Timor* etiam; cum enim quis formidanda Dei judicia, vel horrenda inferni supplicia vere pertimescit, a gra-

vibus quibusque peccatis abhorret, nec ad ea quomodocumque declinat. Unde ut a peccatis abstineret Propheta, Deum enixe rogabat, ut sancto timore animam suam lancinaret: *Confige timore tuo carnes meas* (Ps. 108, 120). O quam felices, qui duplici hoc fræno a peccatis committendis arcentur! Sed, o quam infelices, qui prava consuetudine ligantur! Infelices quidem sunt: quia duplici hoc fræno a peccatis perpetrands non cohibentur. *Non pudore*, quin contra, Sodomitarum instar, de peccatis suis saepe gloriantur. *Non etiam timore*: quia postquam pluries in idem peccatum inciderunt jus quoddam ad illud deinceps perpetrandum acquisivisse videntur, nec amplius Dei iudicis, et inferni supplicia timent. Quare cum nec pudoris, nec timoris fræno a peccatis cohibeantur: ipsa inclinante natura, et consuetudine alliciente, in gravia multa facillime labuntur crimina. Ac tandem in tantam mentis cæcitatem veniunt, ut peccata sua, quasi non peccata inspiciant, imo et virtutes esse censeant.

Videte quid acciderit Sodomitis; nonne inveterata luxuriandi consuetudo ita illos excecavit, ut peccata sua virtutes esse judicarent? Certe ita cæci erant, ut se justos censerent, et Lot, a quo in spiritu charitatis arguebantur, reprehensione magis, quam ipsos, dignum arbitrarentur: *Tanto ibi nefandiæ turpitudinis consuetudo erat, ut jam nequitia esset justitia, et prohibitor potius reprehenderetur, quam factor* (S. August., Ser. 44, *De ver. Dom.*). Ecce quid accidit blasphemis, luxuriosis, ebriosis, et omnibus qui gravi, et inveterata quadam peccandi consuetudine ligantur: inveterata enim hæc consuetudo tanta illos cæcitate afficit, eorumque ita invertit mentem, ut gravissima sua peccata, quasi minima, nec non quasi virtutes respiciant: quare si quis eos in spiritu charitatis moneat, ab iis irridetur, ac etiam nonnunquam conviciis afficitur. Dic ebrioso, qui in prava sua inolevit consuetudine, quod ebrietatibus suis Deo injuriam faciat, proximo occasionem scandali præbeat, conscientiam suam lædat, facultates dissipet, sanitati officiat, ac damnationis periculo se exponat, irridebit te: ejus enim iudicio nil suavius, nil melius quam bene bibere, et

lætari. Dic luxurioso, quod ab omnibus despiciatur, quod Sacramentorum participatione sit indignus, quodque Paradisum sibi claudat, sibi que inferni fores aperiat, videberis ei quasi ludens loqui, nec se Sacramentorum participatione, et Paradisi gloria indignum censebit. Idem dicendum de aliis peccatoribus, qui prava quadam consuetudine ligati detinentur, tanta enim feriuntur animi cæcitate, ut vix peccatores se esse credant, sed potius peccata sua virtutes esse arbitrentur. Grave ergo malum est prava consuetudo, cum cæcitate spiritualis sit origo, *ac etiam cum sit damnationis causa*.

3. Postquam peccator prava sua consuetudine in magnam peccatorum multitudinem, et in spiritualem cæcitatem incidit, in quamdam salutis suæ desperationem, nec non in tantam obdurationem venit, ut omnia salutis suæ media abiciat, et contemnat: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (Prov. 18, 3). Si quis ei dicat, aliquam de conscientia curam habendam: *contemnit*. Si quis coram illo loquatur de Dei bonitate, de formidanda ejus justitia, de Paradisi gaudiis, vel de inferni supplicis: *contemnit*. Si quis eum hortetur ad agendam poenitentiam, et ad sumenda salutis assequenda media: *contemnit omnem correctionem et poenæ comminationem* (Liran. in c. 18 Proverb.). Hinc fit, ut prava consuetudo illum ad infernum trahat. Hic est terminus ad quem tendit homo, qui prava quadam consuetudine ligatur: *Credite mihi, fratres, omne vitium habitatum in nobis, gehennæ subiectum est* (S. Dorothei. Instit. 2).

Puer quilibet per Baptismi perceptionem ab originali lavatur noxa, et in statu innocentia constituitur. Cum autem puer major factus rationis usu pollere incipit, a corrupta per peccatum natura ad prava inclinatur, Deus dat ei gratiam, et auxilia supernaturalia, quibus adjutus ad mortalia declinare timet. Si tamen, abjecta Dei gratia, et contempto hoc timore, in grave aliquod peccatum misere incidat, non amplius horrendam peccati faciem reformidat, quin contra, si sibi vim non inferat, ab uno peccato in aliud facile trahitur, deinde quandam cum peccato familiaritatem inquit, et tandem in illo

perpetrando sibi complacet, ac summopere diligit quod antea timebat et abhorrebat: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt* (Job, 6, 7). En quomodo contrahitur habitus, et consuetudo peccandi. Cum autem quis in aliquam peccandi consuetudinem venit peccatis, peccata addit, in spirituales cecitatem cadit, quandam quasi peccandi necessitatem sibi facit, ac deinde de salute desperans, in peccatis usque ad mortem perseverat, et infeliciter damnatur: *Habitudinem sequitur necessitas, necessitatem desperationis, desperationem damnatio* (Hugo a S. Vict.). Ecce quo pravi ducunt habitus, ac proinde fatendum, pravam consuetudinem esse malum grave et gravissimum. Quare summo affectu quisque cavere debet, ne in tale malum incurrat, et antidota, seu remedia ad tantum malum præcavendum sumere.

Morbos præveniendos, ac remedia præsumenda monet Sapiens, dicens: *Ante languorem adhibe medicinam* (Eccli. 3, 20). Docent etiam medici remedia adhibenda, antequam ingravescat morbus. Unde apud eos commune hoc ex Ovidio sumptam axioma.

*Principiis obsta; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.*

Quod hi de corporis morbis dicunt, hoc et de prava consuetudine dicendum: cum enim prava consuetudo sit malum gravissimum, ab illa præcavendum est, et antequam contrahatur consuetudo, media ad illam elidendam sumenda sunt. *Antequam robor faciat adversum te mala consuetudo, elide illam* (Aug. in Ps. 136).

Mirantur omnes, quomodo David fortissimum Goliath debellaverit; quomodo juvenis virum robustissimum, inermis et inexpers hominem undique armatum et diu in castris versatum vincere, et interficere valuerit. Sed advertendum, quod David illum primo in capite vulneraverit, quo docet nos Spiritus sanctus, eum qui adversus pravam consuetudinem bellum suscipit, *a capite*, id est, a principio illam elidere debere, ac interimendum esse peccatum, antequam ad consuetudinem de-

volvatur. Non ergo peccatis te obrui expectes, antequam medicinam sumas, non in statu mortalis peccati perseveres, donec pravo habitu constringaris, sed antequam in gravia labaris peccata, aut saltem statim post lapsum, et antequam pravo involvaris habitu, sume remedia ad malum tam grave præcavendum idonea. At si prava consuetudo est malum grave, *est etiam malum, quod facile contrahitur.*

II PARS.

Prava consuetudo est malum, quod facile contrahitur.

Si non peccasset Adam, virtutum habitus comparare cuique facillimum fuisset: sed exitioso hoc peccato ita debilis, infirma, ad malum proclivis facta est natura nostra, ut virtutes non sine difficultate et labore assequamur: *Virtus non venit sine labore* (*De vit. solit.* c. 14, int. op. S. Bern.). Verum quidem, quod interdum Deus aliquos eximie pietatis viros tot gratis repleat, totque donis cumulet, ut nil eis facilius quam virtutes sectari; sed aliis omnibus *virtus est in materia difficili* (S. Bonav.), et est semper via arcta, qua incedere debemus, ut ad cælum migremus: *Arcta est via, quæ ducit ad vitam* (Matth. 7, 14).

Asi christianarum virtutum habitus difficile acquirantur, pravi peccatorum habitus, seu prave peccandi consuetudines sunt mala, quæ facile contrahuntur. Et ideo prava consuetudo a nonnullis merito vocatur *centrum*, quia sicut lapis, aqua, aliaque gravia facile et ex innata propensione tendunt ad centrum, ita et prave consuetudines sunt quasi centra, ad quæ ex corruptæ naturæ propensione quisque facile fertur, vel potius sunt gravia mala, quæ facillime contrahuntur.

Priusquam Samaritana, de qua legitur in Evangelio Sancti Joannis, ad Dominum converteretur, ad puteum facile iter peregit, ac hydriam funemque adhibuit, ut ex puteo aquam hau-

riret; Christo autem sentienti, et aquam postulanti se difficilem præbuit, dicens: *Quomodo tu Judeus cum sis, bibere a me petis, quæ sum mulier Samaritana? non enim contantur Judæi Samaritanis.* Sic ad ea quæ virtutis sunt, nos difficiles præstamus; ad ea vero quæ mala sunt, et ad pravas quasque consuetudines absque labore et magna cum facilitate ferimur. Cum jejunandum, *puteus altus est*; cum elemosynæ faciendæ, *puteus altus est*; cum injuriæ condonandæ, cum operibus misericordiæ incumbendum, vel aliis Christianarum virtutum exercitiis incumbendum, hæc sunt difficilia, *puteus altus est.* Sed peccatis se inquinare, peccata multiplicare, et pravis se illaqueare consuetudinibus, nil facilius; ad hæc enim inclinât natura, mundus allicit, inducit diabolus, et plerique hominum nos trahere conantur.

Cum Israëlita ab Aarone Deum sibi fieri a quo per desertum ducerentur, pertinaciter postularunt, illos a tam impia re avertere voluit summus Sacerdos, et ideo omnes in aures aureas sibi in hunc finem dari petiit, censens, quod sibi idolum non facere, quam in aures dare mallet (Exod. 32, 2). Sed illum fefellit opinio; omnes enim mulieres suas protinus obtulerunt in aures, ut petitionis et voti sui compotes fierent. In aures dare noluisse mulieres, si eas petisset Aaron ad illas piis operibus impendendas, illas vero prompto, hilariter, et facile largiuntur, ut ex eis fabricetur idolum, quia ad virtutem difficile, et ad peccata, pravasque peccatorum consuetudines facile ferimur.

Quod ut clarius pateat sciendum, quod ad pravam habitum contrahendum, oporteat solummodo peccare, et in idem peccatum pluries cadere, quia, ut fatentur omnes, habitus quilibet per actus iteratos acquiri solet; habitus v. g. luxuriandi per iteratos luxuriæ actus, et habitus jurandi per juramenta pluries repetita. Facillimum autem est peccare; tum quia pravis suis suggestionibus daemon ad peccandum excitat, tum quia peccandi occasiones occurrunt multæ, tum quia ipsa natura corrupta seu concupiscentia ad peccatum allicit: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Ep. Jac.

1, 14). Facillimum est etiam iterare peccatum, imo facilius est illud iterare, quam illud prima vice committere, quia peccatum, quod per penitentiam non deletur, *suo pondere ad aliud trahit* (S. Greg.). Quare cum facillimum sit peccare, et idem peccatum iterare, facillimum etiam est pravos habitus contrahere.

Hoc mihi evidentissimum videtur, sed et alia mihi occurrit ratio, qua sole clarius apparet, pravos facillime contrahi habitus; quæ sumitur ex peccatis, quæ perpetrantur, quorum aliqua ab hominibus laudari, et alia ab hominibus non laudari solent. *Peccata quæ ab hominibus laudantur*, sunt illa quæ non committuntur sine adstantium approbatione, laude et plausu: sic plaudere solent homines illis, qui proximi famam ingeniose, et exquisitis verbis dilantant; illis qui plus quam par est, vivendo splendido, facultates suas misere dissipant; illis qui socios potando, ac vino se ingurgitando superari: illis qui aliis jocose illudunt, vel qui callide alios decipiunt. *Peccata quæ ab hominibus non laudantur*, sunt horrenda et probrosa quædam peccata, quæ quisque occultare satagit, ut in aliorum notitiam non veniant. Ad primi autem generis peccata, hominum approbatione, plausuque allicimur: et ad peccati secundi generis propria inclinatione ferimur. Quare cum ad omnia peccata, vel hominum plausu, vel propria inclinatione trahamur, nil facilius, quam peccare, peccata multiplicare, et habitus pravos contrahere.

Alias ad hoc propositum rationes adducere superfluum esset; cum ipsa constet experientia, pravos habitus ab hominibus quam facillime contrahi: pauci enim sunt, qui pravo quodam habitu a demone ligati non detineantur. O quot impii iniquis criminum funibus, et pravis habitibus capti, constrictique sunt! Quot fatui senes, inveterata consuetudine excecati, in sceleribus suis insipienter presunt! Quot juvenes a teneris annis multis et infandis se dedunt vitiis; ac peccata multiplicando, tartareos malorum habitum funes sibi faciunt, quibus ad omnis abominacionis gurgitem trahuntur! Quot viri, quot mulieres tetris hisce ligati detinentur funibus! Quot omnis ge-

neris persone pravis habitibus constrictæ ingemiscunt! Paucos quidem reperire est, qui malo quodam habitu, et prava aliqua consuetudine non ducantur. Imo et plerumque pravi habitus in sæcularibus familiis sunt quasi hæreditarii. Unde dici solet apud homines: hæc familia usuris, hæc libidini, illa abdomini, ista blasphemis et detractionibus addicta est. Nil tandem in mundo communis, nilque facilius, quam pravos habitus contrahere. Quare cum prava consuetudo sit malum ita grave, et quod tam facile contrahitur, summa cura vigilare, et laborare quisque debet, ut in hoc malum non incurrat, utque nulla unquam prava consuetudine constringatur.

Sicut Sampson, dum dormiret, funibus ligatus est: ita qui dormiunt, et qui salutis suæ sedulo non invigilant, prava consuetudinis vinculis facile constringuntur: quare si nulla adhuc prava consuetudine ligati sitis, in salutis negotio non dormiatis; sed super vias vestras vigilate, jejunate, orate, occasiones peccati fugite, et alia media ad cavendum a prava consuetudine sollicite sumite. Si autem jam prava quadam ligati sitis consuetudine, remedia etiam ad tam grave malum curandum idonea adhibete.

Optima ad hoc malum sanandum remedia sunt, illius detestatio, occasionum fuga, Sanctorum invocatio, jugis iudiciorum Dei meditatio, et piorum librorum lectio. Hæc remedia sumite, ut tantum malum expellere valeatis. Sed et aliud saluberrimum remedium docet sanctus Chrysostomus, nempe, quod consuetudo prava, quantum fas erit, in oppositam consuetudinem immutetur: *Consuetudo, quando mala, in alteram transferenda est consuetudinem.*

Vulgari, et trito axiomate dicunt medici, quod ad sanandos morbos, remedia contraria sint apponenda; *contraria contrariis curantur.* Quare cum pravi habitus sint infirmitates animæ, et mala gravissima, ad ea curanda, remedia contraria sunt adhibenda. Peccare solitus eras in caupona, ubi ebrietati indulgebas? Imposterum Ecclesias, et non cauponam, frequenter adi. Peccare solebas avaritia, que te ad aliena auferenda alliciebat? Ita te liberalem exhibe, ut non solum aliena

restituas, verum et ex propriis multa pauperibus eroges. Proximi famam detractionibus et calumniis frequenter dilaniabas? Jam non solum ab iis absteineas, sed et proximi virtutibus et meritis promulgandis incumbere. A multo tempore jurare, blasphemare, ventri et libidini servire consueveras? In omnibus contraria adhibe remedia. Quod debes facere magna cum sollicitudine; quia prava consuetudo, non solum est malum grave, et quod facile contrahitur: *Sed est etiam malum quod difficile sanatur.*

III PARS.

Prava consuetudo est malum, quod difficile sanatur.

Christus Dominus quatruiduanum Lazarum modo penitus insolito a mortuis suscitavit. Nam cum eum suscitare voluit, infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrymatus est, ad monumentum ejus accessit, lapidem superpositum tolli curavit, sursum levavit oculos, Patrem rogavit; ac tandem voce magna clamavit: *Lazare, veni foras* (Joan. 11, 43).

Non flevit, non infremuit, nec clamavit Christus, cum Jairi Principis Synagoga filium suscitavit; sed apprehensa solummodo ejus manu, mox suscitata fuit: *Tenens manum ejus confestim surrexit puella* (Marc. 5, 42). Cum etiam Christus filium unicum viduæ Naim ad vitam revocavit, in sacris Codicibus non legitur, quod fremuerit, flevit, et turbatus sit, sed solum, quod ei surgere imperaverit: *Adolescens, tibi dico, surge* (Luc. 7, 14). Cur non aliorum, sed in sola Lazari resurrectione flet, fremit, et turbatur Christus? forte quia major in Lazari, quam in aliorum suscitatione, ei impendendus est labor? Nequaquam: Christo enim, cum Deus esset, omnia erant æque facilia; poteratque omnes mortuos unico voluntatis actu suscitare. Cur ergo flet, fremit et turbatur, cum suscitatur Lazarus? Respondet D. Augustinus Christum in Lazaro quatruiduano et

ligato, hominem inveterata consuetudine constrictum inspexisse: ac tunc flevisse et infremuisse, ut indicaret difficillime sanari eos, qui prava consuetudine constricti detinentur: *Fremuit Christus Dominus, lacrimatus est, et voce magna clamavit: Quam difficile surgit, quem moles prave consuetudinis premit* (Tract. 47 in Jo.).

Quam difficile sanetur, et eradicetur prava et inveterata consuetudo, discipulos suos praeclare docuit peritissimus quidam vitae spiritualis Pater. De quo refert sanctus Dorotheus, quod simul cum illis quadam die in silva deambulans, uni ex iis nascentem cupressum eradicandam proposuerit, quam quidem facillime, admota etiam unica manu, eradicavit. Hac eradicata, aliam aliquantulum grandiozem eradicandam ei indicavit; quam, obediens discipulus ambabus apprehendens manibus radicibus evulsit, sed majori cum labore. Tertiam etiam, et quartam eradicavit: sed quo grandiores erant et antiquiores, eo ad illas evellendas magis insudabat. Quousque tandem prudens Magister unam aliis jam eradicatis grandiozem indigitavit; ad quam advolvit discipulus, eamque totis viribus evellere pluries conatur, sed frustra. Quare totus sudore madescens, et ab inito labore plurimum fatigatus, palam confessus est eam eradicare sibi esse impossibile. Ex quo sapientissimus Pater ansam sumens adstantes filios erudiendi, dixit eis: quod vidistis, jam vera est effigies, veraque idea eorum quae in anima nostra saepe fiunt. Cum in ea non inveteraverunt pravi habitus, facile tolluntur et extirpantur: at si in ea pravae inoleverint consuetudines, difficillime destruntur et eradicantur; nilque hac re difficilius videtur. *In omni re difficilis est, quae expugnetur consuetudo.*

Cum aliquando Diogenes Cynicus improbum inveterata consuetudinis virum admoneret, rogatus, quid ageret, respondit: *Aethiopen laeo.* Et recte quidem: quia sicut Aethiops difficillime pellem suam mutare, ita et pravae consuetudinis morbo laborans difficillime sanari potest. Quae similitudine, ut aptissima ad manifestandam pravae consuetudinis naturam, utitur Spiritus sanctus, dicens: *Si mutare potest Aethiops pellem*

suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum (Ier. 13, 23). Difficillimum est, et impossibile, naturaliter loquendo, Aethiopen ex nigro album facere, quovis adhibito saponem: difficillimum etiam et eodem modo impossibile, pardi varietates tollere, quamvis intime et profunde ad radices usque pilorum tondeatur. Eodem modo inveterati peccatoris animam a consuetudine abducere, eamque sanare difficillimum est. Quia gratiae divinae, quae nunquam deest, ita resistere solent inveterati peccatores. ut excentum vix unus a peccandi consuetudine resiliat.

A prava quidem luxuriandi consuetudine aliquando resiliit D. Augustinus: sed quantum laboris impenderit, explicat ipsemet his verbis: *Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ea voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est quasi necessitas. Quibus, quasi annulis quibusdam sibi innoxis, tenebat me obstrictum dura servitus.* Haec vincula dirupit sanctus Augustinus, sed potentissimo Dei auxilio fretus, sed post multa inita adversus pravam consuetudinem certamina, sed post plurimos exantillatos labores, et post tot superatas difficultates, ut ipse miretur, quomodo de prava hac consuetudine triumphare potuerit: ac palam fateatur, pravam consuetudinem esse malum, quod difficillime curatur. *Difficillime surgit, quem moles prave consuetudinis premit.*

Sumpto ex Sacra Scriptura proverbio, scimus, quod cum quis ab adolescentia pravae adherit consuetudini, ab ea in senectute difficile discedat: *Proverbium est: Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Prov. 22, 6). Ut enim praefata verba exponit sanctus Hieronymus: *Difficiliter eraditur quod rudes anni perbiberunt.* Et ratio est, quia inveterata consuetudo est quasi altera natura; et diuturna consuetudine vitia nobis quasi naturalia sunt: *Consuetudo, quasi secunda, et quasi effabricata natura dicitur* (S. Aug., lib. 6, De music., c. 7). Cum autem prava peccandi consuetudo sit quasi altera natura, eam vincere et sanare

est difficile: *Cum natura pugnare est difficile* (Philo 1. *De Abraham*).

Venatoribus quondam præda fuit puer triennis; qui cum in silvis inter lupos nutritus esset, ferinos et lupinos eorum mores ita induerat, ut prope in feram, pedibus et manibus reptans, degenerasset. Eum venatores angli Henrico Hassia principi dono dederunt; qui omni, qua potuit, arte et industria illum recte incedere, ac humanos mores induere curavit; sed frustra. Semper enim et ferinos servavit mores, et capite ad terram inclinato ac reptans inessit (Causin. Cur. Sainte, tom. 1): *quia jam morem fecerat usus* (Ovid. 1. 2. Metam.). Ecce genuinam inveterati peccatoris indolem, et prævæ consuetudinis vim. Peccator enim, præva ligatus consuetudine, cum feris, seu cum aliis peccatoribus convivere solet: hic etiam super terram reptat, quia non coelestia bona, sed mundi hujus divitias et delicias querit. Cum autem peccatoris vitia in consuetudinem venerunt, difficillime et vix curari possunt: *Desinit esse remedium locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores fiunt* (Senec. Ep. 28).

O quam magna est prævæ consuetudinis vis! Quam gravis ejus est tyrannis: *Magna est consuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat ac natura* (Chrys. in c. 4, Ep. 2 ad Corinth.). Hæc tamen prævæ consuetudinis vis neminem deterrere debet; et quamvis præva consuetudine restrictus quis detineatur, non desperet, sed fortiter agat. Ut enim recte Tullius: *Multos vidimus et audivimus, cum totam adolescentiam voluptatibus dedissent, se ad frugem bonam recepisse, hominesque graves fuisse*. Nonne Matthæus, nonne Pelagia, nonne Magdalena, nonne Maria Aegyptiaca, nonne Augustinus et alii multi frugerunt vincula sua? ac prævæ consuetudinis morbo curati sunt? Cur ergo hoc non poterit quilibet alius peccator, quantumvis prævæ consuetudinis vinculis ligatus existat?

Verum quidem, quod sine Dei gratia hoc fieri nequeat; sed cum Dei gratia, quæ nulli deest, et hoc et omnia quæ ad salutem spectant, facere possumus: *Omnia possum in eo qui me*

confortat (Philip. 4, 13). Agite ergo generose; pravitatis vestrae vincula totis nisibus frangere contendite: et quod impossibile jam vobis videtur, successu temporis vobis facile fiet. Quia, ut ait S. Bernardus; *Usus tollit difficultatem, invenitque facile esse quod impossibile ante putavit*.

Dum adhuc juvenis esset S. Augustinus, jurare consueverat, prævamque hæc jurandi consuetudinem tollere ei difficillimum, et quasi impossibile videbatur. Potuit tamen: ac ita potuit, ut tandem nil illi facilius videretur, quam non jurare: *Abstulimus, inquit, jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus, quis nos audivit aliquando jurantes? numquid non consueveram quotidie jurare? nil mihi jam facilius, quam non jurare*. Sed ad quid hoc de se ipso narrat Augustinus? *Hoc ideo, ait, admonui charitatem vestram, ne dicatis, quis potest? Nullus ergo dicat se prævam peccandi consuetudinem tollere non posse: Ne dicatis, quis potest? Quia quamvis inveterata sit præva consuetudo, illam tollere et eradicare penes nos est. Ne hoc dicatis, sed agite fortiter: Vigilate, orate, sanctissima Ecclesiæ Sacramenta frequenter sumite, prudentis alienus moderatoris consiliis humiliter obtemperate: et tandem aliquando de prævis vestris habitibus triumphabitis, æternamque illam coronam, quæ vincentibus datur, obtinebitis. Amen.*

CONCIO III.

DE PECCATIS RECIDIVÆ.

Iste omnis fructus, ut auferatur peccatum (Isaia 27, 9).

Corpora coelestia a sublunariis in hoc differant, quod coelestia nulli obnoxia sint alterationi et corruptioni: quia ma-